Jo. Quickio Gaspar Schuenckfeldig. 35. 36

Deus domini nostri IESV CHRISTI Pater gloriæ, det nobis spiritum sapientiæ et revelationis, in cognitione sui illuminatos oculos mentis nostræ, ut sciamus nos quam opulenta gloria, excellens magnitudo potentia & fortitudo eius, in sanctos et credentes, quam exercuit in CHRISTO suscitans eum ex mortuis, & sedere faciens in dextera eius in supercelestibus, supra omnem principatum, et potestatem et virtutem, et dominium, et omne nomen quod nominatur non solum in seculo hoc, verumetiam in futuro, Et confirmet nos in omni opulentia, certe persuasionis intelligentiæ, et cognitionem mysterij dei, et patris et Christi, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ, ac scientiæ, reconditi, ne quis sit qui nos predam abigat, per Philosophiam, et per vanam deceptionem, iuxta traditionem humanam, iuxta elementa mundi, et non iuxta CHRISTVM. Quid enim Humanissime vir amulus Christi christianæ fidei professori, gratius et foelitius optare queam? quod Divus Paulus, nunc et servus Iesus Christi, sanctis et fidelibus fratribus suis, tantopere est precatus? cum nemo quispiam accipere et scire quippiam divinarum rerum possit, nisi datum sit e coelo. Tuus profecto candor ad scribendum tibi sic liberius et libenter, me alioqui illiteratum, mussitabundum et secum habitantem impellit, cum de me non solum gratissima, tibi omnia esse scribas. Verumetiam fratris, et quidem charissimi, me nomine digneris. Quare si is esse velim, quem tu me existim

Amicus et frater, no possum facere quin ad literas tuas, quas xiiii Junij accepi iterum amice et fraterne respondeam, nempe ut vicissim, quae dedit dominus, pro GLORIA CHRISTI (quandoquidem in eam controversiam minime vulgarem, Dei nutu incidimus) tibi communicem, Dubium non est te in bonam partem interpretaturum ea, quae ab amico et pio pectore proficiscuntur, Hoc si sit futurum spero, ut neque me scripsisse, neque te peniteat legisse.

Scribis te ad argumentum nihil dicere, nisi quod scriptura et fides nostra testetur. Christum factum sub lege, et suo quidem tempore factum esse, idque non ex nihilo sed ex semine Dauid in Maria virgine, quae certe no videatur esse Physica, sed Christiana doctrina. Vereri alios ne intereat gloria diuinatis Christi. Alios vero istam non minuere sed veritatem humanitatis stabilire, Hic quiescis

Principio hic pretendere nolo, Grecos codices et patres plerosque legere. Natum ex muliere sint sane verba verba Pauli. Deum in plenitudine temporis emisisse filium suum, factum ex muliere factum sub legem, ut vinctos sub lege eximeret, ut ius filiorum acciperemus, Tamen factum esse, nunquam convincet Christum creaturam esse, Quinpotius posterius factum (sub legem) antecedens factum (ex

Muliere) exponit, explicat, et declarat, sicut alias ubi scriptura habet Verbum caro factum est, Qui factus est ex semine Dauid Qui factus fuit nobis sapientia a Deo iusticiaq. et non sequitur Christum Creaturam esse factum, siquidem hæc uox γενόμενος factus a uerbo fio et sum, minime uero a Facio deriuatur Radix uerbi expendenda, ut no filius Dei factus sit tanq̄ creatura, sed fuit, cepit esse, extitit, constitit siue natus est homo ex semine Dauid, secundum carnem sequitur EX SEMINE DAVID IN MARIA VIRGINE Quia uero unicita humanorum corporum, sunt ab Adam, traducta et iuncta semina Viri et mulieres, in cauum matricis (quod non sine honore dixisse liceat) per motum illabentia. Queret aliquis curiosus, Quodnam semen Dauidis in virgine Dei genitrice, fuerit. Negari igitur non potest, quin is sit nouus et preter scripturam, loquendi modus, ex creaturisticis contradictionibus deductus. Diuus Paulus alias ex semine Dauid scribit, citato loco, supponit Ex muliere, sic etiam patres, ni fallor interpretantur, in primis Ireneus, De fructu ventris Dauid inquiens promisit Deus æternum suscitaturum Regem. Hic est qui ex virgine, quæ fuit de genere Dauid, generatus est. De fructu ventris quod erat proprium virginis non de fructu lumborum neq de fructu renum

Quod est proprium uiri generantis. Haec ille, ut satius sit ex semine Dauid, pro, ex posteritate Dauid, intelligere, q̄ cum Antilogis, semen secundū carnem, nescio quod somniare, Quę nimirum physica est doctrina, physice iudicans et discernens, non spiritualiter, per quam etiam gloria diuinitatis Christi, non interire non potest, tantum abest ut ueritas humanitatis, nisi tantum physica et corporalis, sed non humanitatis in Deo, stabiliatur Philosophatur, hic de animali (ut ita dicam) non de uero corporis Christi, de quo dicitur ego genui 28 De ueritate humanitatis Christi, vel Cyrillus in sexto Cap Johannis, rectius iuditium facit. Non est igitur quod in Christo secundum carnem iuxta rationis humane iuditium quiescamus, Et quia semel loqui cœpi cum tua humanitate, Quaeso ne indigneris, si rem ipsam planius dicam, Scis controuersiam hanc DE GLORIA CHRISTI non esse de uerbo, aut diuina natura, sed de carne, et sanguine Christi Atq; adeo de toto Christo. Quis nam sit Illustr. et generoscis ille uir IESVS Nazarenus de semine Dauid, Qualem gloriam, potestatem, quodue regnū Dominum et nomen, per resurrectionem, clarificationem, ascensionem sessionem in dextris, apud

Deum patrem antiquum illum diuum, in coelis
assequutus sit. An non sit adorandus ille cui omnes
populi atq; linguæ seruiant? An etiam naturalis
filius dei, Dominus noster et Deus sit? in hoc
cardine vrs vertitur

Quantum itaq; conijcio, olfacis aliquantum Quid
D Vadianus Vir humana eruditione et sapientia
nulli secundus, de Christo glorioso sentiat et scribat
Christum hominem faliert, Dei nomen ferre
non posse, Christum iuxta naturam, quia est homo
non esse adorabilem, Christum non vtraq; natura
sua facere personarum Trinitatis, Christum non
vtriusq; naturæ causa naturalem esse filium Dei
Inter Deum et Dominum in coelo distantiam esse
perinde vt inter filium hominis et filium Dei,
Nocentissimam hæresim esse) in Christo glorioso vnam
statuere voluntatem vt sexcenta pretera omittam
Oro obtestorq; mente & cogitatione perspicias, quid
ista portenta per se ferant, Qualem nobis
Christum obtrudant & introducant, Conscientiam
tuam appello et quæro ex te. Charissime Domine
Zuicci, An cum nova ecclesia Christi & fidelibus
patribus carnem Christi in gloria adorandam
colendam et venerandam esse censeas? Si adoranda
necesse est in Christo Diuinam, & Deum esse

Cum Deo iam tum Antilogia nulla est concla-
mata est ilicet perijt si non adoras, nunq̄ eludes
oracula spiritus, Non subterfugies eiaculationes
sacrę scripturę, ꝛ adorent eum (primogenitum)
omnes angeli Dei (Quoniam ipse speciosus præ
filijs hominum) est dominus tuus, et tu adora
eum. Hæc non de Deo sed de semine Abrahæ
De Messia, De filio hominis, Nempe de Christo
sine controuersia dicta esse constat, ut tacam recep
tissimum Ecclesiæ articulum esse. De adoratione
corporis et sanguinis Christi apud Petrum Lombardū
Lib 3 Dist 9 apud Augustinum ꝛ Ambrosium
Christus ut sciant philosophicos respectus, ueterem
Nestorij heresim crepantes, nihil morabitur, Angeli
adorantes et contemplantes Vultum Christi, qui
Regem gloriæ ascendentem in cælis tanq̄ dominum
suum susceperunt, respectum naturarum ex
philosophia didicerunt ꝛ curant scilicet / Quin
cedat Philosophia veritati. Concedant Eruditio
et eloquentia, sermonibus, quos docet spiritus sanctus
Illi spumantibus et persuasorijs humanæ sapientiæ
verbis, sed serui Christi in ostensione spiritus ac
potentiæ, in spiritu et uirtute Heliæ. Illi in
curribus ꝛ in equis. Nos autem in nomine
DOMINI dei nostri celebrabimus salutis uitæ.

Et uictoria authorem. Quod deus bene Vertat
Eat nunc quis & deliberet, utrum uelit Christum
Dominum iuxta discursum rationis philosophice
distinguere, & cum Antilogia naturam factam et
editam, Deum fieri impossibile iudicare, siue mali
verbis angeli imo Deo credere. Apud Deum im
possibile esse nullum uerbum. Deo nihil quicq̄ esse
difficile & cum Diuo Petro certo scire, quod
DOMINVM C CHRISTVM fecerit Deus illū
ipsum Jesum quem Judei Crucifixerunt
Hoc aūt Vadiano difficile esse creditū non est mirum
cum excedat omnem metam rationis humanæ et
Teste Luthero, super Johan xvii, nihil difficilius
quam credere Christum hominem. Dei naturalem
filium esse. Et quomodo credat qui originem carnis
Christi ex Deo non contemplatur, Quæ autem
principia generationis inquit Basilius nisi spiritus
sanctus et uirtus altissimi obumbrans? Virgo non
ex sese grauida facta, sed celestis pater in spiritu
sancto hominem Christum ex carne virginis non
iuxta comunem naturam sustulit. quæ sola car
utpote ex sanctitate compacta digna fuit, vt
deitati vniretur Quod descendit de coelo conceptæ
de spiritu originis, causa est, Non em̄ corpori Mar
originem dedit, inquit Hilarius. Nos ex humano

Semine, Ille ex spiritu sancto natus est, scribit Hieronimus Quis obsecro hic locus erit creaturae?

Haec si quidam, per gratiam dei, cogitarent viderent hanc carnem in deo, per nouam generationem ex mortuis ad conformitatem Dei nasci, et spiritum sanctum pro reliqua carne accipere opportuisse, Qui non credit spiritum sanctum ab hac deificata carne Christi, in omnem carnem fidelem procedere, spiritum accipere non potest, Nondum erat spus sctus, quia Jesus nondum erat glorificatus Joh: VII Quod natum ex spiritusancto, Creatura non est, nonsolum in Christo, uerumetiam in nouo quoque homine.

Arbitror autem te in libello Noui hominis, eo profecisse vt duos homines, veterem et Nouum ex Paulo nunc exactius noscere et discernere queas, Ne pigeat iterum et sepius legere, sic facile Creaturam in Christo explodes, Ad extremum te oro, vt boni consulas quae tibi singulari motus charitate, et scribo et mitto Libere enim tecum ago, mecumque optes, vt malleus verbum domini conterens petras, multorum obdurata corda, emolliat quo credant, Christum conceptum et incarnatum de spiritu sancto esse, Natum ex Maria virgine Filium a patre solo esse, non factum nec creatum, sed genitum, Deum et hominem unum esse Christum, qui passus est pro salute nostra, Resurrexit a mortuis, Ascendit ad coelos, sedet ad dextram dei patris omnipotentis Ipsi gloria et nunc et in diem aeternitatis. Amen. Bene Valeat tua humanitas, Eo me amare pergat Pridie Cal Augusti M D XXXXI